





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538306-p0001-6

DFO







1686.

1. Kunstmam, Matthaeus: Non iudicium sumpvis secundum leges, sed ex causa secundum regule latem iuris iuris debet?
2. Lan, Carolus Historicus: De iure dantis in genere.
3. Lan, Carolus Historicus: De paenitentia missis militaris infligendis, ex leg. C. et leg. T. l. p. c. l. distinctione ipsius actionis, constitutio furum, iure mariti ex adulterio uxoris.
4. Lan, Carolus Historicus: De jure indigenatus.
5. Paulus, Thesaurus: Miscellaneae aliquant theses.
6. Schultze, Bernhardus: Positiones juris missae lancea.

1687.

1. Fanceius, Georgius: De iure principum legislatoris.



1687.

1. Funcius, Guglielmo : De imperio principum secula-  
riam circa religionem et sacra-  
menta
3. Kitzelius, Johannes : De testimonio foeminarum.
4. Renger, Achalius Christianus : De iure baptisni.
5. Renger, Achalius Christianus : De obsequiis paro-  
chiarum et patronis praestan dis

1688.

- Renger, Achalius Christianus : De iure suspensi

1689.

1. Baltz, Johann Christophorus : Legitimitas forum liberonum  
iure poliorae.
2. Hagnorius, Michael : De erroribus posticis Martini  
velli.
3. Pentius, Thordius : De bonis non fagonum fisi  
et privatorum acquisitionem effugientibus.
4. Renger, Achalius Christianus : De arrhis.

1687. DISPUTATIO POLITICA

5. Renger, Iohannes Christianus : *De jure baptisni*. - .

1690.

1. Starcke, Iohannes Heinricus : *Margina alba  
seu primula alba* . . .

2 Stein, Iohannes : *De interpretatione p. 3 P. de  
wich, Hadriani foliis, et quemadmodum scriptiles  
heres in possessione m. Natur* :

1691.

Schulz, Christoph : *De chiromantice vanitate*.

1692.

Boltz, Iohannes Christopherus : *De conditionibus proprie-  
tatis, contractum et ultimatum voluntatum*.

1693.

Stein, Iohannes : *De pecunio* . . .

1694.

1. Berent, Iohannes : *De ipsorum emicorona-  
tibus cum priuis conjugio eorum*. - -

1694.

1. Pantus, Thorellus: Observations curiosae
3. Schrömpfeli, Henricus: De usus, eorumque ac ejus, quod interest differentia . . .
4. Stein, Johannes: De testium pugna.
5. Stein, Johannes: De facto iij continentia facienda, seu de iij, quae in continentia per debentur.
6. Brunn, Carolus Gottlieb: De pugnacione vulgoris. Accensit: Defensio Indaeorum, q'iusque formula solens .



24

G. 16. s. 46. c. 11.

DISPUTATIO POLITICA  
PRIOR;

Disquirens:

1686

NUM JUDEX  
SEMPER SECUNDUM  
LEGES, AN ETIAM INTER-  
DUM SECUNDUM AEQUITATEM  
JUDICARE DEBEAT?

Quam  
DIVINO AUXILIANTE  
NUMINE,  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA  
FACULTATE PHILOSOPHICA,  
IN CELEBRI ALBERTINA  
P RÆ S I D E  
M. MATTHÆO Kunstmann/  
R. P.

*Eruditorum publicæ disceptationi subjicit*  
JOHANNES FRIDERICUS Kressen/

Regiomonte Pruss.

Anno M DC LXXXVI. a. d. 8. Maii

H. L. Q. S.

REGOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.



V I R O  
MAGNIFICO, AMPLISSIMI  
NOMINIS  
D O M I N O  
**DNO. DANIELI**

KR<sup>E</sup>SS<sup>E</sup>Y/  
Serenissimi ac Potentissimi Ele-  
ctoris Saxonie Inspectori Telonii  
terrestris gravissimo, ejusdemque rei pen-  
sariæ in Lipsiâ deputato supremo  
dignissimo,

Hæreditario Domino in Rahns-  
dorff & Pürsten &c.

MÆCENATI, PROMOTORI  
ac PATR<sup>O</sup>UO venerando,  
colendo:

D.D.D.



**Q**ui feras undiq; agitandi studio in syl-  
vas & montes olim rapiebantur, iis  
more traditum fuit patrio, ut, quas  
belluas nanciscantur venando, earum den-  
tes Dianæ sacros facerent, rebus supra vo-  
tum fluentibus. Nec deerat, qui bipen-  
nem utring; obtusam sacris Minervæ ap-  
pendere liminibus, non dubitabat; neg;  
enim obscurum ipsi erat, non tam ad mu-  
neris dignitatem, quam consecrantis ani-  
mum respectum haberet. Et mibi animus  
esse idem videtur, qui Magn.<sup>ca</sup> Tuæ Am-  
pl.<sup>dini</sup> retusam utring; exercitationem banc,  
suspensa licet diu cogitatione, tandem in-  
scribere suscepi, certò persuasus, Te, quem  
gravioribus addicasti studiis & negotiis a-  
nimum, hunc ad humiliora benevolè demis-  
surum, & Præsentem Laborem NOMI-  
NI TUO inscriptum, PATROCI-  
NIO FAVOREq; OPTIMI MÆ-

A 2

CENA.

CENATIS esse complexurum. Labor  
studiumq; hoc si AD SINUM TUUM  
FAVOREMq; admittatur, si gratum,  
acceptumq; fuerit, nec inscriptionis sva-  
forem pœnitabit consilii, nec me obsequii.  
Fave, atq; æqui boniq; consule, diu bo-  
nis artibus & Reip. superstes

Ita sperat

Magn.<sup>cæ</sup> Tuæ Ampl.<sup>is</sup>

humillimus cliens

Joh. Frid. Kressen/  
Reg. Prut.



Vem admodum plures aliæ in Politicâ scientiâ occurrunt utiles, arduæ, magnisque difficultatibus involutæ controversiæ: ita non minor obscuritas, quæ tamen juxta varietate jucunda & insigniori se commendat utilitate, reperitur in iis, quæ super Officiō Judicis agitari & moveri possunt, quæstionibus. Id quod dicimus, suô testimonio comprobare valet Favorinus Philosophus. Apud Gellium enim Judicem Romanum petebatur pecunia, quæ dicebatur data numerataque sed qui petebat, neque tabulis, neque testibus id factum docebat. Et argumentis ad modum exilibus nitebatur, constabat verò cum virum esse ferme bonum, multa quippe & illustria probitatis ejus exempla expromebantur: illum autem, unde petebatur, hominem esse non bonæ rei, convictumque vulgo in mendaciis, plenum item perfidiarum & fraudum esse, ostendebatur; is verò cum suis Patronis clamitabat, probari debere consuetis modis apud Gellium Judicem, pecuniam ipsi datam esse, si non probaretur, dimitti se oportere, & adversarium de calumniâ damnari. Gellius, quid agendum, dubius, jussit diem diffindi, atque à subselliis ire perrexit ad Favorinum Philosophum, quem in eō tempore Romæ plurimum sectabatur, atque ei de causâ ac de omnibus, quæ apud ipsum acta fuerant, ut res erat, narrat omnia, ac petit, ut & ipsum illud, in quod hærebat, & cætera etiam, quæ observanda ipsi forent in Officiō Judicis ficeret ipsum, ut earum rerum esset prudentior. Tum Favorinus: *Id quidem, inquit, super quò nunc deliberas, videri*

potest specie tenui parvâque esse, sed si de omni quoque Offi-  
ciô Judicis præire Tibi me vis, nequaquam est vel hujus loci  
vel hujus temporis: est enim disceptatio ista multi jugæ  
& sinuose quæstionis, multâque & anxîâ curâ &  
circumspicientiâ indigens, ut hæc ipsa refert Gellius Noct.  
Att. XIV, 2. Ex plurimis illis, quæ circa materiam de Offi-  
ciô Judicum in quæstionem venire solent, controversiis  
hâc vice eam proponere & ventilare placuit, quâ disquiri-  
tur: An Judex semper secundum Leges scriptas, an vero in-  
terdum etiam secundum æquitatem judicare debeat? Quid  
de hâc quæstione statuendum sit, ut manifestum fiat, in an-  
tecessum, quid lex, quidque æquitas sit, venit exutien-  
dum.

§. II. Lex, de quâ nobis maximè sermo est, est illa, quæ Ari-  
stoteli vocatur *lex propria*, quâ Vir aliquis prudens potestatē  
habens alicui populo, vel quâ Civitas ipsa sibi communi con-  
sensu sanxit & statuit, publicæ salutis ergo sive in Scripturam  
redacta sit, sive non. οὗτον τὸν φερνήστεως καὶ τὸν, quæ Lambinus ita: *Lex*  
*autem vim habet ad cogendum valentem, quam sit ratio ab*  
*aliquâ prudentiâ menteque profecta, ita describit legem Phi-*  
*losophus lib. Eth. X, 10. paulò ante med. Νέμον δέ οὐν ἐμο-*  
*λόγησα πόλεως νοιον Διὰ γερμανάτων τερπάτων πᾶς ξενὸς*  
*περάτειν ἔκαστον, quæ Franciscus Philelphus interpretatur ita:*  
*Lex est communis Civitatis consensus, qui scriptis preceperit,*  
*quō modō unumquodque agendum sit, ita Aristot. lib. de Rhei-*  
*toricâ ad Alexandr. c. 2. satis ab initio. Idem repetit, cap.*  
*sequenti ante med.. Rhet. I, 13. paulò ab init. hæc Philoso-*  
*phus habet: Λέγω τὸν νόμον τὸν μὴ, ιδίον τὸν τοῦ, κοινόν ιδίον μὴ,*  
*τὸν εκάστοις ωρισμένον τερπός αὐτός. καὶ τόπον, τὸν μὴ, ἀγε-*  
Φον.

Φοντὸν δὲ, γεγενημένον κοινὸν δὲ, τὸν καὶ Φύσιν ἔστι γδέ, δὲ μάθενταί παντες, Φύσης κοινὸν δίκαιον καὶ ἀδίκον, καὶ μηδεμία κοινωνία τοῖς ἄλλοις ἡ, μηδὲ συνθήκη. quæ Muretus ita veritatem: Legem autem dico aliam propriam, aliam communem: propriam quidem eam, quam sibi quisque populus statuit, eamque aut non scriptam, aut scripto comprehensam: communem autem eam, quæ naturalis est. Est enim justum quoddam naturā: Et injustum, de quō homines, quasi divinō quoddam instinctu vaticinantur, etiam si nulla de eō inter illos communatio aut pactio intercesserit. Neque enim ad rationem & essentiam legis præcisè requiritur descriptio Legis vel in membranā, vel in ære, institutione enim etiam vocali & quidem firmiter atque potentius menti imprimi potest. Quō modō Lycurgus vētuit Leges suas scripto mandari, ut melius animō servarentur, uti testatur Plutarchus in Lycurg. Tom. I. f. 47. A. Et, si scriptura ad essentiā legis pertinet, quid fiet vetustissimis mortalium, omnium literarum penitus rubibus? De quibus audiamus Josephum contra Apion. lib. II. fol 885. ant. med. Legislatorem nostrum (de Mōse loquitur) dico omnibus, quotquot usquām commemorantur, Legislatoribus vetustate antecellere. Lycurgi enim Σ Solones, Σ Locrorum Zaleucus, denique omnes, qui apud Græcos sunt in admiratione nuper admodum, sic cum illō conferantur, fuisse comperiuntur: quippe quum ne nouen quidem ipsum Legis (νόμος) quondam apud Græcos notum fuerit, vel Homerō teste, qui in suo Carmine nunquam eō usus est. Neque enim erat ejus tempore lex, sed indefinitis sententiis Regumque imperatis plebs regebatur. Unde Σ diu moribus non scriptis usi fuere: multa eorum ē re nata subinde mutare soliti. Quid fiet omnibus Barbaris, apud quos itidem nullus scribendi usus? quales erant prisci Germani, quos inclusas canticulis Leges suas

canere

canere publicè privatimque jussisse Tuisconem, illum Germanorum Regem atque Parentem memorat. lib. I. Annal. Bojor. fol. 38. Aventinus ex Berosô; qui modus cantu leges memoriarum mandandi olim receptissimus fuit, adeò, ut hinc leges **Cantilenæ** fuerint dictæ, de quō conf. Arist. Problem. XXVIII. sect. 19. Quæ hactenus à nobis super scripturâ Legum disputata sunt, concludemus Aristot. testimoniō, quod legitur in præclarissimô ejus de rectâ Juventutis & Legibus consonâ educatione discurso: γεγανδίων δὲ, inquit de Legib. ἢ ἀγέρων, σὺν τῷ δόξῃ Διαφέρειν, i. e., utrum scriptæ sint, annon scriptæ, nihil referre videtur. Eth. X, 10. med. Essentiam igitur & formam Legum dicimus potius consistere in expressâ sanctione & latione, sive ea fiat voce, sive scripto, sive aliò quocunque modō, per hanc enim lex, Lex est.

§. III. Leges, quas modò descripsimus, à Legislatoribus concipiuntur universaliter. Οὐ μὴ νόμος καθόλος πᾶς, omnis lex generalis est, ait Arist. Eth. V, 14. ante med. A quō non abscedit Demosthenes, qui in Oratione in Aristogitonē fol. 492. legem vocat κοινὴ συνθήκη τῆς πόλεως, communem Reip. spensionem, commune pactum; & JCtus Papinianus in leg. i. ff. de Leg. ipsam appellat commune preceptum. Non incommodè hoc referimus, quod Heraclitus, quem Ephesii legem contra ipsum tulissent, dixit: *Audio, Ephesiō legem contra me laturos, & ab omnibus Legibus abhorrentissimam.* Lex enim nulla duntaxat in unum statuitur, sed judicium. Nesciunt Ephesiū quō discrimine *Judex & Legislator* sint distincti. Et hoc quidem melius, siquidem incertum est, quisnam sit facturus; *Judex* verò conspicit ob oculos in *judicium adductum*, cui pœna constituitur. Hæc Heraclitus in Epistolā ad Hermodorum, quæ reperitur in volumine Anony-

mi

mi cuiusdam, in quô congestæ sunt epistolæ Philosophorum, Oratorum & Rhetorum sex & viginti, quod Venetiis ap. Aldum est excusum. Lex igitur à Legislatore conditur generalis. Non enim singulis, sed *universo generi*, ut ita Obertus Gifanius ad l.c. Aristotelis loquitur, statuitur. Cui amicè consentit Ulpianus, quando leg. 8. ff. de legib. inquit: *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituantur.* Siquidem neutquam possunt leges specialiter sanciri: causa ejus est non in legibus, sed partim in legislatoribus, uti notat Philosophus Rhet. I, 13. post med. qui singularia ac facti circumstantias prævidere propter *ακαταληψίαν* quandam nequeunt, partim etiam, & quidem potissimum *in naturâ rerum earum, quæ sub actionem cadunt*, uti Aristot. non tantum Eth. V, 14. med. sed & Eud. IV, 8. loquitur: nam μὴ δυνατὸν εἴναι τὰ πειραγμάτων φύσιν διορισμῷ καθυποβληθῆναι, ἄλλο τε ἄλλως ἔχόντων. Αὔριος δὲ γάρ οὖν η τὰ πειρατῶν ὅλη καὶ πολλὰς ἔχει τὰς μεταβολάς, quæ verba sunt Andronici Rhodii, ut creditur, in cit. loc. Eth. V. & à Daniele Heinsio ita redduntur: *Definitioni se subjici rerum natura non patitur, quum aliō atq; aliō se habeant modō. Indefinita enim est rerum agendarum materia, multasque mutationes admittit.* Et Rhet. I, 13. aliq. à fin. Aristoteles ita loquitur: *Αναγκαῖον μὲν η καθόλει εἰπεῖν, μὴ η δὲ, αὐλ' αἱ θητοπολύ. καὶ οὐ μὴ ράδιον διορίσας δι απειρίαν. οὐν, οὐ τέλος αἰτίας σιδήρω, καὶ πηλένω καὶ ποίω πνί τελείποι γε δη ο αἰαν Νερθεύντας.* Αὐτὸν η αἰδίαρισον δέη δὲ νομοθετῆσας, ανάγκη απλῶς εἰπεῖν. Quæ Muretus ita interpretatur: *In modo vero universæ quidem loqui (Legislatorem, de eō enim loquitur) necesse est: res autem non ita se babet: sed plerumq;. Et quæcunque definire facile non est, propter infinitatem, ut quanto Ego quali ferrō quis alium vulneravit, atas enim defecerit, si quis ea*

enumerandō persequi velit. Si res igitur indefinita sit, & de  
cā tamen ferenda lex sit, legem universē logui necesse est.  
Gemina hisce habet Platō in Politicō sive in lib. de Regnō  
satis post med. fol. 185. D. edit. Marsil. Ficin. ubi ait: Ὡτι νό-  
μῳ τον ἀν ποτε δύναστο τό, τε ἀριστον, καὶ τὸ δικαιότατον ἀνε-  
λέως αἷμα πᾶσι θειλαβῶν, τὸ βέλπιον ὅπιτάπειν, αἱ γὰρ ἀνομοιό-  
τητες τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰν πεάξεων καὶ τὸ μηδέ πτε μηδὲν,  
αἱς εἰπεῖν ἐπὶ τοῦ, οὐσίας ἄγειν τὸν ἀνθρώπινων, γάδεν ἐῶσιν ἀπλῆν  
τὸ γάδενι θεῖ ἀπάντων καὶ ὅπῃ πάντα τὸν γεένον διπολυεδα  
τεχνῶν γάδ' ἡνίνεν, hæc ex interpretatione Marsilii Ficini ita  
sonant: Quoniam lex nequit, quod optimum omnibus est &  
justissimum sincerè comprehendendo, semper ita, ut opera pre-  
cium est, præcipere, quando hominum actionumque dissimili-  
tudo instabilisque rerum humanarum conditio facit, ut ars  
nulla simplex quicquam & in universum de omnibus, perque  
omne tempus valens constituere possit. Idem ferè respon-  
dit Plato, quum à Cyrenæis rogaretur, ut leges ipsis scri-  
ptas relinqueret, Rempublicamq; constitueret, de quō legi  
potest Plutarchus in lib. ad Principem ineruditum, initiō  
statim fol. 779. D tom.II. Sufficit itaque, si Legislator ju-  
bet v. g. neminem esse lädendum aut vulnerandum: nec  
opus est, ut omnes circumstantiæ describantur, quando-  
quidem id fieri non possit. Quā in re nimis scrupulosi fu-  
re olim populi Germaniæ Alemanni, Saxones, Franci, Lon-  
gobardi & alii: sicut ex illorum legibus appareat, quarum  
magnam partem in unum Codicem compegit, & eruditissi-  
mo Glossario illustravit Frid. Lindenbrogius.

§. IV. Sed opinetur fortean quis, quoniam tanta est  
actionum in vitâ humanâ varietas, variis hisce factorum  
eventuumque speciebus succurri, & Justitiam in Civitate  
tantō felicius administrari posse, si multæ & quàm plurimæ  
Leges

leges sanciantur. Sed quis Vir prudens ita sentiret, atque  
tale quid suasurus esset populo, qui unicè suæ saluti sit in-  
tentus, quum tale consilium non sit proficuum? ita enim  
Salus Reip. subrueretur, quies communis turbaretur: quod  
enim plures sunt leges, eō major litium fœtura; siquidem  
avivoulay, variæ & contrariæ interpretationes ex legum  
multitudine nimiâ resultant, docente Zasiô de Orig. Jur.  
fol. 282. B. cc. fin. Pertinet huc Apophthegma Arcesilai,  
quod reperitur apud Johannem Stobæum serm. 41. de Re-  
publica fol. 248. ante med. Quemadmodum, inquit, multos  
oportet invassisse in urbem eam morbos, in quâ multi sunt Me-  
dici, multa pharmacopolia: ita Remp. quoque eam morbi-  
dam esse necesse est, in quâ multis opus est Legibus. Tacit.  
Annal. Lib. III. cap. 27. fin. ait: Corruptissimâ Rep. plurime  
Leges. Facere non possumus, quin eximii Philologi pari-  
ter atque JurisConsulti, Justi Lipsii verba, licet duriora non-  
nihil, allegemus. Ita verò habent: Plato verissimè: ὅτι παρ-  
εις πλεῖστοι νόμοι, οὐδὲ δίκαια καὶ τέτοις, οὐδὲ βίοι μοχθησόι. Quod  
ubi plurime Leges, ibi et Lites, itemq; Mores improbi. Deus  
bone, quam rem tetigit! Et usus ubiq; gentium, aut tempo-  
rum hoc affirmabit. Maneamus in Romanâ Rep. paucos ea  
initiò habuit: paulò plures Decemviri addiderunt: Et ita ad  
Principes fere mansit. Tunc sane plures: Et à Justinianô plu-  
rime, quibus utimur; Lotbario Imperatore, quum diu siluis-  
sent, eas reducente. -- Recepte igitur sunt: sed quod fructu?  
Certè illo litium, nemo negaverit: que ex eō nimium quan-  
tum succrevérunt. Europam vide, Et mentior, nisi maxima  
ejus pars circa istas occupatur. Alii judicant, alii in-  
struunt, alii agunt, Et qui miserrimi sunt, eas habent. --  
Nam que tam clara causa est, que non aliquâ lege, lege?  
imò interpretatione, (nam et has admisimus) obscuretur? Quæ

tam improba, cui non dent colorem? ars enim facta est Causidicina, & peritè captare aut capere laudem habet. Monit. & Exempl. Polit. II, 10. Id ergò dabit Resp. operam, ut non nimium multæ, sed paucæ, optimæ, maximeque salutares constituantur. Auctor est Demosthenes legem fuisse apud Locros, ut si quis novam legem latus esset, eam publicè collo in laqueum inserto suaderet; ut, si non placuisset lex, cives mox strangularent auctorem: unde factum est, ut in ducentis annis lex apud Locrenses nova nulla lata fuerit, eodem Demosthene teste Orat. contra Timocratem fol.

480. A. Quos imitatus Carolus M. quāus parcissimus fuit in condendis novis Legibus: adeò, ut, quum tam diu vixerit Rex atque Imperator, per pauca Legum capita sanxisse dicatur; sed in veteribus restituendis, ut servarentur, mulius fuit: quō nomine eum maximoperè commendat Baron. Tom. IX. Annal. Anno Christi 801. f. 544. Quid? quod fieri non pos- sit, ut singuli articuli & causus, quō tempore, locō, & modō illi evenerint, legibus comprehendantur: experimur enim singulis fere diebus & horis alia & alia incidere negotia; littus igitur araremus, si singulis hisce casibus leges consti- tuere vellemus. Adducimus hīc verba, quæ reperiuntur in Vol. II. Orat. Melch. Junii p. m. 401. init. Sunt, dicitur ibi, nisi mea me memoria fallit, Legum in Digestis novem millia centum nonaginta octo: in Codice quatuor millia quingenta quinquaginta quatuor: Constitutiones in Novellis centum sexaginta sex. Verūm his non sunt comprehensa omnia: nec quidem comprehendendi potuerunt, ob negotiorum humanorum, tum multitudinem, tum varie- tatem, & ingenii imbecillitatem, quæ in rebus singulis ac contingentibus cæcutire sāpe solet. H. I.

§. V. Satius igitur fuerit, vanas las mittere cogitatio-  
nes,

nes, & legem concipere universaliter, & quoniam de quibusdam universaliter recte dici non potest, exprimat quod fit plerumque. Ita enim Philosophus: Οὐ μὴ νόμος καθόλος πᾶς. Περὶ ἐνίων δὲ σχέτικον τε ἀριθμὸς εἰπεῖν καθόλος. Εν οἷς δὲ αὐτάγανη μὴ εἰπεῖν καθόλος, μὴ οἶον τε δὲ ὅρθως, τὸ ὡς θητείλεον λαμβάνειν οὐ νόμος. Quæ Lambinus ita vertit: *Lex omnis generalis est: de quibusdam autem rebus universè & generaliter recte præcipi non potest.* Itaq; quibus in rebus Legis vocem universam ac generalem esse necesse est, id autem non satis recte fieri potest: in eis id sumit Lex, quod plerumq; solet evenire. Eth. V, 14. circamed. *Ubi fieri non potest, ut de omnibus recte leges instituantur: de iis, quæ ut plurimum eveniunt, institui consueveré, ita ad l. c. Michaël Ephesius.* His planè consentiunt Jcti Romani, qui hoc ipsum in legibus suis inculcant. Refert enim Pompon. l. 3. ff. de leg. Theophrastum dixisse, *jura constitui oportere in his, quæ ὅπῃ τὸ πλεῖστον, i.e. ut plurimum accidunt, non quæ ἀκαθόλογος, inciderint, comprebendantur: sed sufficit, & ea, quæ plurimum accidunt, contineri.* Paulus ex modō laudatō Theophrastō l. 6. ff. de leg. ait: *τὸ γδ ἄπαξ ή δις, i.e. quod enim semel aut bis exsistit τὰ καθόλαις ἐν νομοθέται, i.e. prætereunt Legislatores.* Conferri etiam huc potest l. 4. loci cit. Res hæc elegantissimo similideclaratur in Platonis Politicō sive Tractatu de regnō fol. 185. Φέρε νῦν, ἀναλάβωμεν πάλιν μνήμην τὰς τῶν τέχνης γνωμαζόντων οἰτάξεις ἐν ταῖς πιάνταις δέχασι. Σω. τὸ ποῖον. ΕΕΝ. ὅπι ληπτόντες σὸν ἐγχωρεῖν ἡγενταὶ καθ' ἓντα ἔκαστον τῷ σώματι τὸ περιῆκον ἐκάστῳ περιττούντες. ἀλλὰ παχύπερον ὅιονται δεῖν ὡς θητείλεον κατὰ πόλας τὰς τὰς λιστελάντος τοῖς σώμασι ποιεῖθαι

τάξιν. Σω. καλῶς. Ε. διὸ δίγε καὶ ἵσχες πόνες νῦν διδόντες αἴθροις,  
ἄμα μὲν ἔξοριώσιν, ἄμα δὲ καταπιέσσοι δέομε, οὐδὲ πάλις, οὐδὲ  
πάντων τῶν καὶ τὰ σώματα πόνων. Σω. ἔστι ταῦτα. Ε. οὐδὲ τὸν νο-  
μοθέτην τούτου οὐχίμεθα, τὸν τὰς ἀγέλαις ὅπιστισσον τὰ δικαία  
τοῖς οὐδὲ τῶν ωρᾶς αἰλιάς ξυμβολαῖσιν, μήποθ' οὐανὸν γρίσεας,  
πᾶσιν αἴθροις ωρεσάποντά αἱρετῶς εὐνέασφ τὸ ωροσηκον διπο-  
διδόνας. Σ. τὸ γὰν εἶνός. Ε. ἀλλὰ τὸ τοῖς πολλοῖς γε, οὐμακ οὐδὲ  
ὅπιπολὺ καὶ πας ὅτωσὶ παχυτίχως ἐκάστοις τὸν νόμον θίσειν,  
οὐδὲ τὸ γεράμματιν διποδίδει, οὐδὲ τὸ ἀγεράμματοις πατεροῖς δὲ έζειν  
νομοθετεῖν. Σ. οὐδῆς. Quæ Marsil. Ficinus ita translulit:

Hosp. Age nunc, referamus memoriam precepta illorum, qui ar-  
te quâdam Gymnasiis prasunt. Socr. Quenam? Hosp. Ar-  
bitrantur quidem illi fieri non posse, ut quod sigillatim & uni-  
cuig, scorsum convenit, præcipiatur. Itaque quod communius  
est, quodq, & plurimis & plurimum conducere putant, insti-  
tuendum censem. Socr. Preclârè. Hosp. Quam ob rem dum  
equis laboribus hodie cunctos adstringunt, paribusque exer-  
citationibus agitant, si ut vel nimis incident, vel enervent, &  
inepta ad cursum palestramq, & alia certamina corpora red-  
dant. Socr. Sic accidit. Hosp. Legum quoque conditorem pu-  
zamus suis gregibus præsidentem, deque justis operibus mu-  
tuisq, commerciis jura dantem non posse dum cunctis in unum  
consulit, accuratè ad singulorum commoditatem jusve prospí-  
cere. Socr. Consentaneum est. Hosp. Ceterum, ut arbitror,  
quod & plurimis & plurimum conductit communiter instituet,  
ac bujusmodi Leges & scriptis & non scriptis, sed Patriis mo-  
ribus inducit. Socr. Rectè.

§. VI. Postquam Legis Naturam & rationem, quan-  
tum nobis hîc sufficere potest, expendimus, restat, ut etiam  
quid æquitas sit, excutiamus. Describitur autem ea passim  
à Philosopho ut E.h.V, 14. post med. Διὸ δίκαιον μὲν θεῖ, οὐδὲ  
βέλ-

Βέλπον τινά δικαίως ἢ τε αἰτιώς δὲ, ἀλλὰ τε Διὸς τὸ αἰτιώς  
ἀμαρτήματό τοι. οὐδὲ ἔστιν αὐτη ἡ φύσις ἢ τὸ ὅπεινάς, ἐπανόρθω-  
μα νομίμος, ἢ ἐλείπεται Διὸς τὸ καθόλος. i.e. *equum bonum jus est*,  
*tum quoddam jure melius est, non eō, quod absolute jus est, sed*  
*eō peccato, quod ex simplici & generali sermone natum est.*  
Denique *hec æqui boni vis ac natura est, ut legis correctio*  
*sit, quā aliquid ei deest, propterea quod generaliter loqui-*  
*tur.* Eudem. IV, 8 ante med. ita: τὸ ὅπεινάς, ait, δικαιον μὴ  
δῖνειν, ἢ τὸ κατ' τὸν νόμον δὲ, ἀλλ' ἐπανόρθωμα νομίμος δικαίως. i.e.  
*equum bonum jus est, non est tamen jus lege constitutum, aut*  
*legitimum, sed juris legitimi correctio.* Rhet. I, 13. post med.  
ita: Τοις idis νόμοις οὐδὲ εὐγενεῖς μὴ δῖνειν. τὸ γδὲ ὅπεινάς,  
δοῦναι δικαιον εἶναι. ἔστι δὲ ὅπεινάς, τὸ ωρὸν γεγενημένον νό-  
μον δικαιον εἶναι, i.e. *æquitas est partim propria legis & scri-  
ptæ supplementum.* *Æquum enim videtur justum esse.* Et  
*equum est, quod præter scriptam Legem justum est.* Igitur,  
quantum ex dictis colligere licet: *Æquitas est quidem sub*  
*genere Juris, est enim Jus quoddam, non tamen Lex, quum*  
*sit Legis ἐπανόρθωμα, correctio, non quasi legem antiquet,*  
*aboleat, aut tollat (hoc ipsum enim vis vocis correctionis*  
*evincere videtur, correctio enim nihil est aliud, quām e-  
mendatio, & rei in melius restitutio; quod autem aboletur,*  
*annihilatur & in totum tollitur, qui hoc corrigi, emenda-  
ri, & in melius restitui dici possit?), sed quod quā Lex, quam*  
*Legislator ob rerum naturam non nisi universaliter conci-  
pere potuit, deficit, atque peccat, suppleat & emendet, &*  
*quidem ita, sicut emendasset & supplevisset Legislator ipse,*  
*si præsens esset.* Optimè hæc explicat Andronicus Rhodius in Paraphrasi suâ ad Eth. V. 16. Græca, quia verba aliquantum prolixa sunt, omittimus: *Quæ, ait, ut plurimum*  
*accidunt, Legislatores respiciunt. Etenim ut homo peregrinus*

behi



belli tempore muros ascendat atq; ex iis urbi subsidium ferat,  
raro evenit, saepe vero ut in detrimentum urbis ascendat.  
Cum ergo necessario illud sit sciendum, quod pacto ejusmodi sine  
servanda leges; præterea quando, & in quibus; oportet quoque  
aliquem habitum dari, quod emendari errata possunt ejusmodi.  
Talis vero est equitas, qua defectum supplet Legis, &  
emendat erratum, novamq; definitionem, quam pratermisit  
illa, quia singularia non potest nosse omnia, adjicit.  
Dicit enim Vir equus omnem, qui ascendat, peregrinum mori debe-  
re, si infidiandi animo hoc fecerit. Sin feliciter rem gesserit,  
non modo conservari, sed & præmiis affici debere. Quæ ea-  
dem & Legislator dixisset, si adesse potuisset: aut si hoc ipsum  
scivisset, Legem ejusmodi tulisset. Eodemque modō similiter  
etiam alias Leges emendabit vir equus. Gemina hisce ha-  
bet Michaël Ephesus ad h.l. pluribusque exemplis adductis  
rem exponit: Quum dixerit, ait, aequum & bonum legitimi  
juris esse emendationem, emendat enim, quod in eō pecca-  
tur: necessarium esse ostendit, legem, quæ ex pacto constat,  
peccare ob rerum indeterminationem, quæ alias aliter eveni-  
re consueverunt. Nam lex in universum sancit, eum qui de-  
positum non reddiderit, infamem esse atque ignominiosum.  
Peregrinum item si murum ascenderit, à civibus esse interfi-  
ciendum: nec non eum, qui rem cum alienâ uxore habuerit,  
castigari debere. Atq; unumquodq; horum, id est infamia,  
interfectio, castigatio, justum est plerumque, sed incidit ta-  
men, ut interdum justum minimè sit, sed peccatum. Quod modō  
enim errans non est ac peccans jus illud, quod puniri jubet eum,  
qui Tyranni uxorem violavit, atq; ita interfecto Tyranno Pa-  
triam in libertatem afferuit? Quod modō item peccatum non  
est existimandum vel maximum, peregrinum eō nomine velle  
interficere, quod ingruentibus hostibus in murum ascendens

fortiter

fortiter se gesserit, atq; urbem defenderit? Quum igitur lex in  
universum abstinendum esse ab alienâ uxore prescribat, ac  
propter ea ad supplicium trahatur, ille etiam, qui Tyrannum  
eô modô interficerat, æquus ac bonus bâc in parte defectum  
legis corrigit. Si enim id novisset Legislator eventurum esse,  
legi procul dubio addidisset, lexq; in hunc modum fuisse scri-  
pta: A quâcung; alienâ uxore abstinendo, prater quam Ty-  
ranni, si ex tali concubitu Civitatis libertas procuratur. Et  
item: Peregrinus unusquisq; qui in bellô murum ascenderit,  
occidatur, nisi is, qui defendenda urbis causâ id fecerit, for-  
titerque se gesserit.

§. VII. Succurrit igitur æquitas legis defectui, quando  
legem ita corrigit, ut ipsam restringat, quod exempla, quæ  
modò ex Ephesiô adducta sunt, declarant; ut tamen res  
tantò fiat luculentior, unum adhuc addimus exemplum.  
Sit lex v. g. ita generaliter concepta: Quicunque alienum  
servum occiderit, is Domino tantum dare damnas esto,  
quanti is eô annô plurimi fuerit: Sijam Titius occiderit Sti-  
chum Sempronii servum aggressorem, & Sempronius ita  
agat contra Titium ex lib. IX. D. l. 2. ad Leg. Aquil. Qui-  
cunque occiderit servum alienum, is damnas esto Domino  
dare tantum, quanti is eô anno plurimi fuerit; Titius verò  
occidit servum alienum, Stichum: Ergo Titius damnas  
esto dare Domino tantum, quantum is eô annô plurimi  
fuerit. Titius hic non negat sc interemisse Stichum, quia  
factum fatetur, sed aggressorem se prostravisse addit. Ipsa  
itaq; æquitas hujusmodi casus singulares, excipit, ac proin-  
de Reum Titium absolvit: Legem enim generaliter loquen-  
tem, Qui servum alienum occidit, damnas esto dare &c. ita  
restringit, nisi aggressor, nisi fur nocturnus, nisi diurnus cum  
telô, nisi latro sit, & si quæ singularia possunt esse plura. Sed  
forte æquitatis etiam erit, legem ad alios quoq; casus exten-

C

dere.

dere, quam in legē exp̄ressē sunt determinati. Accidere enim potest, ut lex de certā aliquā re jus statuat, alius tamen ab hāc oriatur casus, tūm si utriusq; ratio est similis, æquitas suadet, ut illa lex ad hunc quoq; nuper incidentem casum extendatur, eiisque propter idem æquitatis fundamentum applicetur. Elegantia in hanc rem sunt verba Quintiliani, quæ reperiuntur in Declamatione ejus CCCXXI. Nulla, inquit, tanta pr̄videntia potuit esse eorum, qui leges componebant, ut species criminum complecterentur. Nam & semper cauentes nequitia vi- cisset: & jus ita multiplex atq; diffusum esset, ut pro incertō ba- beretur ignotum. Fecerunt ergo ut rerum genera complecterentur, & spectarent ipsam æquitatem. Multa ergo invenientur frequenter, quæ legiūne verbis non teneantur, sed ipsā vi & po- sessate teneantur: quale hoc est. Sane enim concedam in pr̄sen- tiā Tibi, non illud judicium capitī: si tamen eandem vim ha- buit, quam judicium capitī, eandem poenam habere debet. Fingamus enim plura esse scelera, sicuti sunt, quæ ante punienda sint. Nam quum lex etiam eum, qui falsō accusaverit, occidi velit: manifestum est occidendū esse eum, qui temp̄la incenderit, occidendum esse eum, qui Patriam prodiderit. Exemplō aliō dicta illustramus. Lege XII. Tabb. decretum erat, ut proxi- mus agnatus tutelæ onus subiret, quod ab intestatō hæres es- set, ut est ap. Rosin. Antiq. Rom. II X, 6. p. 590. post med. nec non ap. Conr. Rittersh. in tractatu, quē vocat Dodecadeltos p. 105. post med. Eā lege exp̄ressē non erat prospectum li- bertorum pupillis: quum itaque eadem in utrisque ratio de- prehendatur, quod sicuti proximus agnatus ab intestatō, ita liberto Patronus succederet, & ad utrumq; commodum hæ-reditatis perveniret, extensione facta etiam Patronum tute- la pupillorum liberti onerārunt. Nam ubi est successionis emolumētum, ibi & tutelæ <sup>"onuū"</sup> esse debet. Secundum naturam est, commoda cuiusque rei cum sequi, quem sequuntur incom- modia,

*moda*, dicitur in D. lib. 50. t. 17. leg. 10. quod hic secundum na-  
turam esse dicitur, illud Terentius *Æquum* appellat, quando  
in *Hecyrâ Act. V, sc. 3. fin.* ita ait: *Multa ex quô fuerint com-  
moda, ejus incommoda æquum est ferre.* Atq; hic est ille pro-  
cessus ad similia, qui exprimitur D. de Leg. l. 12. *Non possunt  
omnes articuli singulatim aut legibus aut Senatus Consultis  
comprehendi; sed quum in aliquâ causâ sententia eorum ma-  
nifesta est, is, qui Jurisdictioni præst, ad similia procedere, arg-  
ita jus dicere debet.* Idem l. 13. inculcatur. Ea verò ita habet:  
*Pedius ait, quotiens lege aliquid unum vel alterum introdu-  
ctum est, bona occasio est cetera, quæ tendunt ad eandem utili-  
tatem, vel interpretatione, vel certè Jurisdictione suppleri.*

§. VIII. Sed quid dicendum, si quæratur: An *Æquitas*  
semper est benignior, nunquam severior interpretatio le-  
gis? Respondemus: Non negamus usum obtinuisse, ut illi po-  
tissimum dicantur *æqui & boni*, qui poenam in legibus statu-  
tam potius mitigant, quam exasperant. Hinc *æquitas* Cice-  
roni vocatur *Juris laxamentum* in *Orat. pro Cluentio*: con-  
jungit idem *æquitatem* cum facilitate, quando de *Servio* di-  
cit: *Quod non magis Juris Consultus, quam Justitia esset, & quæ  
proficicebantur à Legibus & à Jure Civili semper ad facilita-  
tem æquitatemq; referret.* In *Orat. IX.* tom 2 fol. 900. G.  
In *Jure Civili* *æquitas* venit nomine *Benignitatis*, ut leg. 56. D.  
de R.I. *Humanitatis* l. 112 §. 2. D. condit. & demonstrat. l. 3. de  
offic. *Prætor.* appellatur etiam *benigna* l. 112. §. 1. D. de condit.  
& demonstrat. *Benignior* l. 192. D. de R.J. *Interpretatio.* Item  
*humanior sententia* l. 8. D. de pact. *Benignior acceptio* l. 1. §. 13. D.  
de obligat. & aet. Eo verò adduci non possumus, ut exi-  
stimemus, *æquitatem* nullô modô dici debere severiorem  
legis interpretationem. v g. Lex apud nos est: *Qui hominem  
interficit, decollator.* Jam si quis Magistratum suum occide-  
ret, hæc certè poena per *æquitatem* fore exasperanda. Huc

non



non incommodè referimus verba Philosophi ex Eth. V, 8.  
paulo ab init. Εἰ δέχεται ἔχων ἐπάταξεν & δεῖ αὐτικληγῆναι. Καὶ εἰ  
ἀρχοντα ἐπάταξεν, & πληγῆναι μόνον δεῖ, ἀλλὰ καὶ πολατῆναι. i.e.  
Si quis Magistratum gerens aliquem pulsaverit, non est referien-  
dus: & si quis eum, qui Magistratum gerat, pulsaverit, non modò  
verberandus, sed & castigandus est. Inde factum, ut Aristote-  
les æquitatem non descriperit esse mitigationem, sed corre-  
ctionem ἐπανόρθωμα legis, quæ fieri potest & mitigandō &  
exacerbandō. Neque inde Aristotelem nobis contrariari pu-  
tandum est, quod Eth. V, 14. circ. fin. virum æquum sequenti  
modò describat: Οὐ πάντας δοῦλοις τὸ χείρον, ἀλλ' ἐλαπ-  
τηδος, καὶ περ ἔχων τὸν νόμον βοηθὸν, οὐ πεινήσεται. Quæ Lambi-  
nus ita reddidit: *Qui non est juris interpres in suâ causâ du-  
rior neque in deteriore partem propensus atque implicatus,  
sed de suô concedit potius, etiamsi legis auxiliô niti possit: is est  
equus bonus.* Sed Aristoteles l.c. nobis plane non adversatur,  
quod cuivis patebit, qui, quæ Michaël Ephesius ad l.c. com-  
mentatus est, expenderit, cuius explicationem propterea  
addimus. Verba ejus hæc sunt: *Erit igitur equus & bonus,  
qui -- non erit exactus juris executor in pejorem partē, b.e. qui  
omnia, quæ in Legibus sunt scripta, servare studebit, in pejorem  
partem interpretans.* Non enim acerbè punire vult mala per-  
petrata, nec in scripto persistit, sed sententiam magis Legislato-  
ris sectandam censet: etiamsi lex, i.e. scriptum ipsi ad hoc, i.e.  
ad acerbè puniendum auxiliari ac favere videatur. Ex quibus  
clarum est, Aristotelem h.l. illam legis severiorem interpre-  
tationem ab æquō virō removere, quæ est contra legislato-  
ris mentem & sententiam, in quā nec nos æquitatem ponim-  
us, sed talem interpretationem acerbiorem ad æquitatem  
reducimus, quam ipse legislator, si præsens foret, approbaret.

*Committunt ergo tale quid objicientes fallaciam  
ignorationis Elenchi.*

§. IX,

Königsberg, Russ., 1686-94






# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



*G. R. von 45.  
L. H.*  
O POLITICA  
I O R;  
quirens:  
1686  
**JUDEX**  
**ECUNDUM**  
**TIAM INTER-**  
**M ÆQUITATEM**  
**DEBEAT?**  
am  
**AUXILIANTE**  
**LINE,**  
**TE AMPLISSIMA**  
**PHILOSOPHICA,**  
**ALBERTINA**  
**S I D E**  
**EO Künftmann/**  
P.  
*disceptationi subjicit*  
**DERICUS Kressen/**  
nte Pruss.  
**XVI. a. d. 8. Maii**  
**Q. S.**  
**LO REUSNERIANO.**  
**KENFRIED.**  
**UNIVERS.**  
**ZVHALIE**